

cutandis jurib. et can. *Decernimus*. 32, cau. 16, q. 7. Fatentur tamen doctores communiter, æquum et decens esse, ut impubes præsentationem faciat auctoritate tutoris.

39. Porro quamvis satis communis sit opinio doctorum apud Garciam, loc. cit., n. 194. Castro Palao, loc. cit., n. 21, quod pupillo existente adhuc impubere, etsi majore septennio, absolute possit tutor aliquem præsentare, eo quod tutor non tantum detur personæ, sed et bonis pupilli etiam spiritualis, arg. c. fin. *de Judiciis*, in 6. Tamen fatentur etiam satis communiter, quod si præsentante tutore etiam impubes septennio major intra tempus ad præsentandum concessum, alium præsentet, hic præsentato per tutorem sit præferendus, dummodo sit habilis, etsi alter sit dignior. Doctores, n. præced. citati, inter, quos Garcia, loc. cit., n. 186, dicit, hanc esse receptam, ac communiter approbatam: tum ob rationes et jura allegata: tum quia ad pupillum pertinet præsentatio, arg. cit. can. *Decernimus*, 32, cau. 16, q. 7.

40. *Observatio practica, si impuberes præsentant.* — Imo putat Garcia, loc. cit., n. 191. ex rationibus allegatis, quod pupillo existente majore septennio, præsentatio a tutore facta penitus sit nulla, nisi de pupilli expresso vel tacito consensu fiat, ut dum tutore præsentante pupillus sciens non contradicit, nec alium præsentat intra tempus concessum: quæ doctrina licet patiatur controversiam, tamen ex ea cum Garcia, et aliis pro praxi secuta infertur, quod præsentante tutore, præsentationem non statim accipere, sed prius inquirere debeat ordinarius I. An pupillus sit septennio minor, vel major? si major; ulterius attendere debet II. An sciente, vel ignorante pupillo præsentatio sit facta? si eo ignorante facta est, faciat eam eadem intimari. Si eo sciente contigit, ulterius attendat, oportet, an non tempore ad præsentandum concessum, pupillus alium præsentarit, vel adhuc præsentaturus sit? eo quod per hunc præsentandus præferri debeat præsentato per tutorem, juxta dicta num. præced.

41. *Filiusfamilias quando præsentet, et quando loco ipsius pater?* — Quod si vero patronus jam sit pubes, etsi adhuc minor viginti quinque annis, penitus nullam amplius habebit potestatem præsentandi tutor, utpote quæ tunc sola plene competit minori, ita ut ejus præsentatio etiam absque præsentatu et consensu tutoris sit valida, tutoris

vero, si quam forte faceret, invalida. Garcia, loc. cit. n. 195 et 196; Castro Palao, loc. cit. n. 21, et alii. Ratio est, quia pubes, sive major quatuordecim annis in « Beneficialibus, et aliis causis spiritualibus, et dependentibus ab eisdem, » nullatenus dependet a tutore, vel curatore, aut parente, textu claro cit. c. fin. *de Judiciis*, in 6.

42. Id, quod de pupillo respectu tutoris diximus, item proportionaliter intelligendum est de filiofamilias respectu patris, Garcia, loc. cit. n. 197, ob eadem jura, et paritatem rationis. Solum limita in jurepatronatus, quod filio competit ratione honorum adventitiorum; horum enim usumfructum quia pater habet, etiam juspatronatus bonis annexum habebit, Castro Palao, loc. cit. n. 22; Garcia, p. 5, cap. ix, n. 205, ob fundamenta supra, n. 34, allegata.

43. *Infideles non sunt capaces juspatronatus.* — Quæritur VII. Num etiam Judæi, pagani, et hæretici sint capaces juspatronatus? Resp. I. Judæi, pagani, et infideles sunt incapaces. Abbas, in c. *Nobis*, 25, h. t. n. 3, et ibi Joan. Andreas, n. 3; Fagnanus, n. 7; Pirhing, h. t. n. 20, et communis aliorum, eo quod jura, n. 36, citata de solis christianis, ac fidelibus loquantur, quales non sunt Judæi, pagani, etc.

44. *Nec hæretici de jure communi. Quid in Germania?* — Resp. II. Loquendo de jure communi etiam hæretici sunt incapaces juspatronatus, Fagnanus, in cit. c. *Nobis*, h. t. n. 10, et ibi Abbas, n. 3; Azorius, p. 2, lib. VI, cap. XXI, q. 7 et 8. et communis. Ratio est, tum quia hæretici tanquam membra putrida et rebelles per excommunicationem ejecti sunt ab Ecclesia: ergo inhabiles sunt ad jus ecclesiasticum (quale est juspatronatus) et ad commoda favore Ecclesiæ inde insurgentia, arg. can. *Didicimus*, 31, cau. 24, q. 1, tum quia eorum bona omnia sunt confiscata, arg. c. *Cum secundum leges de Hæretic.* in 6. consequenter etiam juspatronatus eis annexum, c. *Accessorium de Reg. jur.* in 6. Et quamvis hæc ratio in foro civili non procedat apud Germanos, ubi hæretici sunt capaces hæreditatis, et immunes a dicta confiscatione, tamen procedit de eis ratio prior. Accedit quod Ecclesia, et Pontifex nunquam consenserint in illa fœdera, et paces, quibus hæretici eximuntur a confiscatione bonorum, et aliis juris pœnis; atque in successione et aliis æquales redduntur catholicis.

§ III.

DE DIVISIONE JURISPATRONATUS, PRÆSERTIM IN ECCLESIASTICUM, ET LAICALE: ET DIFFERENTIA INTER UTRUMQUE.

45. *Juspatronatus aliud activum, aliud passivum.* — Quæritur I. Quomodo dividatur, seu quotuplex sit juspatronatus? Resp. illud varie dividi. Patet inductione. Nam. I. Dividitur in activum, et passivum. Activum est ipsum jus, quod patronus habet præsentandi aliquem ad beneficium. Passivum est jus competens certis aliquibus de familia, vel loco, quod si idonei sint, exclusis extraneis per patronum necessario debeant præsentari. Barbosa, lib. III. *Jur. Eccles. univ.* cap. XII, n. 25; Monet. *de Commut. ultim. volunt.*, cap. x, n. 200; Engel, h. t. n. 16, et alii. Verum in præsentati erit tantum sermo de activo, quod supra definivimus, et de quo huc usque egimus.

46. *Aliud reale, aliud personale.* — II. Dividitur juspatronatus activum in personale, et reale. Personale est, quod personæ patroni independentem a re aliqua, vel loco coheret, ubicunque tandem existat. Reale est, quod alicui certæ rei, vel loco, v. g. castro, prædio, pago, etc. annexum est, et coheret, et cum eo transit ad quemvis etiam non hæredem, qui rem talem emptione v. g. vel mutatione, vel donatione acquirit, juxta dicta a n. 27; Engel, loc. cit. n. 17, cum communi.

47. *Aliud hæreditarium.* — III. Dividitur in hæreditarium, et gentilium seu familiare. Hæreditarium est, quod transit ad quosvis hæredes etiam extraneos. Barbosa, loc. cit. n. 20; Covarruvias, lib. II. *Variar. resolut.*, cap. XVIII, n. 6; Monet, loc. cit. cap. XI, n. 134; Engel, h. t. n. 15, et communis, arg. c. 3, h. t. Et tale in dubio semper præsumitur esse, nisi ex fundatione, vel aliunde constet, Barbosa, loc. cit. n. 21, citans plures Rotæ decisiones, Loter. *de Benefic.*, l. II, q. 11, n. 19; Abbas, in c. 13, h. t. n. 5, et communis, eo quod juspatronatus ex natura sua transeat ad quosvis hæredes, per dicta, n. 18.

48. *Aliud gentilium seu familiare: et quomodo de hoc constet?* — Gentilium, seu familiare est, in quo tantum illi succediunt, qui sunt de familia et sanguine fundatoris, juxta mentem ejusdem. Ita cum communi doctores citati: quando autem tale hæredi-

tarium personale, vel reale sit, potissimum desumi debet ex prima constitutione juspatronatus, et mente fundatoris; utpote in cujus potestate est, vel omnino remittere juspatronatus, vel illud hæreditarium, aut gentilium, vel reale, vel personale facere, uti cum aliis bene observat Engel, h. t., n. 15. In dubio tamen, uti dictum, præsumitur hæreditarium. Quamvis talis præsumptio elidatur, et e contra præsumatur gentilium, si in ejus provisionibus semper fuit habita mentio familiæ, ac descendentiæ, et nunquam hæreditariæ qualitatis, vel quando per centum annos nullus extraneus præsentavit: cum ad probandam qualitatem juspatronatus, illud v. g. gentilium esse, leviores sufficiant probationes, eo quod non agatur de substantia, sed pertinentia hujus juris, uti relatis decisionibus Rotæ bene observat Barbosa, loc. cit. n. 23 et 24.

49. *Aliud ecclesiasticum: et quale hoc?* — IV. Principaliter dividitur in ecclesiasticum, et sæculare, seu laicale, et in mixtum. Ecclesiasticum est, quod competit collegio, aut communitati ecclesiasticæ, puta, capitulo cathedrali v. g. collegio, monasterio, etc., vel personæ ecclesiasticæ, ratione ecclesiæ, dignitatis, aut beneficii, quod habet. Ita in re communis ac certa doctorum. Ecclesiasticum censetur etiam illud, quod ab initio fuit laicale seu sæculare, postea tamen titulo aliquo legitimo, puta, donatione, legato, testamento in ecclesiam, monasterium, collegium, vel capitulum, vel etiam in personam ecclesiasticam intuitu ecclesiæ, dignitatis, aut beneficii fuit translatum. Barbosa, loc. cit., n. 10; item *de Offic. et potest. episc.* allegat. 72, n. 28; Garcia, *de Benefic.* p. 5, cap. I, n. 553, qui ambo plures allegant decisiones Rotæ. Rebuffus in *Praxi*, tit. *de Præsent.* n. 5 et 7; Covarruvias, *Pract. quæst.*, q. 36, n. 5, et communis aliorum, quod item etiam in *Theologia nostra morali* docuimus, tract. XI, dist. 3, q. 2, n. 24, textu claro nos ecclesiasticis fundatur, dotatur, aut comparatur. Barbosa, lib. III, *Jur. Eccles. univ.*, cap. XII, n. 4; Gonzalez in reg. 8. Cancellar. Gloss. 18, n. 5; Flamin. Parisius, *de Resig.*, lib. II, q. 4, n. 39, et alii, Garcia, p. 5, cap. I, n. 593.

50. *Prius laicale, postea donatum Ecclesiæ, fit ecclesiasticum.* — Infertur proin cum Garcia, loc. cit., n. 555; Barbosa, loc. cit., n. 9, quod juspatronatus competens episcopo (idem est de aliis prælatis, et personis eccle-

siasticis) ratione domini temporalis, aut rerum ad ecclesiam pertinentium sit ecclesiasticum, etsi ab initio fuerit laicale; prout fit, si donatur, legatur, etc. episcopatus, monasterio, collegio, capitulo, praelaturæ, etc. aut personæ ecclesiasticæ intuitu ecclesiæ, dignitatis, vel beneficii, vel si castrum, prædium, villa, etc. habens annexum juspatronatus de bonis episcopatus emittitur, aut pro eis commutatur, ita ut taliter acquisita non ad personam privatam episcopi, praelati, clerici, sed ad ecclesiam, capitulum, etc. spectet.

51. *Aliud laicale; et quale hoc?* — Juspatronatus laicale est, quod laico, vel etiam clerico competit ratione foundationis, ædificationis, aut donationis ex bonis propriis, aut illius, cujus hæres existit, vel etiam privilegio, vel præscriptione, aut alio titulo sæculari, v. g. donatione, permutatione, emptione, absque intuitu ecclesiæ facta, juxta dicta superius, n. 48 et seqq., doctores citati cum communi. Notandum tamen cum Barbosa, loc. cit., n. 3; Lambert. *de Juspatronat.*, lib. I, p. I, q. 8, a. 7, n. 17. Rota, decis. 615, n. 4, p. 1, *Recent.* et aliis, quod si clericus, de quo non constat, quod habuerit patrimonialia, vel alia quasi talia, fundet, doctet, aut ædificet ecclesiam, censeatur de redditibus ecclesiasticis fecisse, consequenter juspatronatus ecclesiasticum esse, per dicta, n. præced. nisi alicubi consuetudo sit, vi cujus clerici de præfatis bonis testari, et hæredes succedere possint in foro externo: tunc enim in eodem foro etiam juspatronatus laicale esse, et ad hæredes laicos transire poterit, ut advertit Garcias, p. 5, cap. 1, n. 594. Verum quia hanc consuetudinem pro foro interno tanquam illicitam et invalidam rejecimus in tit. *de Pecul. cleric.* ideo etiam inde consequens pro foro interno licitum non reputamus.

52. *Aliud mixtum, quid juris de eo?* — Juspatronatus mixtum est, quod partim nomine seu ratione ecclesiæ ad clericum, partim titulo sæculari ad laicum vel etiam clericum pertinet, ac proin ex utroque mixtum est: quale esse censetur, si ecclesia ex bonis suis fundet aliam ecclesiam, et eam dotet laicus. Est in re communis. Hinc juri ecclesiastico illud est speciale, quod in particularibus casibus reguletur vel ut ecclesiasticum, vel ut laicale: prout exigit qualitas casus magis privilegiali, magisque favens patronatus. Covarruvias, *Pract. quæst.*, cap. xxxvi, n. 5;

Fagnanus, in c. *Cum propter*, n. 26 et seqq. cum Glossa communiter recepta in c. un. *ÿ. Ecclesiasticus*, h. t. in 6. Ratio est, quia si non privilegiatus in materia individua, seu inseparabili concordat cum privilegiato, utitur hujus privilegio, arg. l. *Si communem*. ff. *Quemadmodum servitutes amittantur*, ubi hoc conceditur habenti rem communem cum pupillo. Quin imo generaliter in individuis privilegium uni ex sociis concessum, porrigitur ad omnes, juxta Glossam fin. l. 1. *C. de Diversis rescript.* ac pluribus exemplificat Fagnanus, loc. cit., n. 53 et seqq.

53. Quod tamen limita in casu, quo patronus ecclesiasticus, et laicus inter se conveniunt, quod alternis vicibus præsentare velint, juxta præscriptum Clem. 2, h. t. et dicta supra, n. 23, quia tunc in casu, quo præsentat Patronus ecclesiasticus, censebitur juspatronatus totaliter ecclesiasticum consequenter ut tale tractandum; in casu vero, quo patronus laicus præsentat, reputabitur totaliter laicale; Barbosa, lib. III. *Jur. ecclesiast. univ.*, cap. XII, n. 17; Joan. Andreas in c. *Cum in illis*. §. *fin. de Præb.* in 6. Ratio est, quia per talem alternativam videtur natura mixtorum esse redacta ad sua simplicia.

54. *Differentia inter juspatronatus ecclesiasticum et laicale. Illud habet sex, hoc vero quatuor menses ad præsentandum.* — Quaritur II. In quibus differant inter se juspatronatus ecclesiasticum, et laicale? Resp. Præter discrimen, quod ex diversa utriusque definitione desumitur, differre in pluribus. Patet inductione. Nam I. Differunt, quod patronus ecclesiasticus habeat sex menses ad præsentandum, c. *Eam te*. 22. h. t. et c. un. eod. in 6. Laicus vero tantum quatuor menses, c. 3. et c. *Cum propter*, 27, h. t. et cit., c. un. eod. in 6, ibi: « Patronus laicus ad præsentandum habeat quadrimestre duntaxat. » Ecclesia tamen, vel monasterium, etc. tempus habet semestre. » In patronatu tamen uterque patronus semestre, si simul præsentant, juxta dicta, n. 52.

55. *Tempus hoc incipit primum a die notitiæ vacationis beneficii. Et qualis notitia esse debeat? Ignorantia præsumitur, ubi scientia non habetur.* — Incipit autem hoc tempus patrono currere non a die vacationis beneficii, sed a die notitiæ vacantis beneficii, quam habet. Garcias, *de Benefic.* p. 10. cap. II, n. 34. citans plures decisiones Rotæ, Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 72, n.

134, cum communi, arg. c. *Quia diversitatem*. 5. *de Concess. præb.* quæ quidem vacantis beneficii notitia, a qua tempus currere incipit, debet esse certa, nec sufficit dubia, aut testis de auditu, ut proin asserens patronum habuisse notitiam, probare debeat, et præsumptio sit pro patrono. Barbosa, cit. allegat. 72, n. 35 et 36. citans alios, arg. c. *Præsumitur*. 47. *de Reg. jur.* in 6, ibi: « Præsumitur ignorantia, ubi scientia non habetur. » Porro non currit tempus patrono impedito. Barbosa, loc. cit. n. 138. et lib. III. *Jur. Eccles. univ.*, cap. XII, n. 170; Rebuffus, *de Pacific. possess.* n. 304, cum communi, arg. cit. c. 5. *de Concess. præb.*

56. *Si debito tempore non fit præsentatio, devolvitur collatio beneficii ad episcopum.* — Cæterum si intra tempus præfatum, vel ex negligentia, vel quia in præsentando non conveniunt patroni, non fit præsentatio, statim elapso eo tempore devolvitur pro ea vice collatio beneficii ad eum, ad quem pertinet institutio, arg. c. *Eam te*. 22 et c. *Cum propter*, 27, h. t.; Barbosa, cit. allegat. 72, n. 144. et 168; Abbas, in c. *Quoniam*. 3 h. t. cum communi. Ratio est, ne alias ex absentia rectoris ecclesia dispendium patiat, de quo magis infra. Potest tamen episcopus elapso tempore patronis facere gratiam, et tempus ad præsentandum prorogare. Barbosa, loc. cit. n. 170; Castro Palao, p. 2. tract. XIII, disp. 2, p. 5, n. 8; Ricc. in *Praxi*, resolut. 195, arg. c. 2. *de Supplend. neglig. prælat.*, ponderando *ÿ. Liceat*. quod ponit causam in voluntate illius, cui licet. Nec tamen potest episcopus ultra sex menses prorogare tempus, ut bene ibidem notat Castro Palao, arg. c. 2. *de Concess. præb.*

57. *Patronus ecclesiasticus non potest variare; bene tamen laicus; quomodo et quoties?* — II. Differunt, quod patronus ecclesiasticus præsentato aliquando idoneo non possit amplius variare, seu pro illa vice alium præsentare: quod tamen si fecerit, debet episcopus primo præsentatum instituere, textu claro c. *Quod autem*. 5. c. *Cum autem*. 24. et c. *Pastoralis*. 29, h. t. et ibi doctores communiter. Quod intellige cumulative, non private aut exclusive, hoc est, potest uni præsentato, alium adhuc præsentandum adjungere, et episcopo, queis instituere velit, relinquere; non vero potest primum penitus excludere, ut bene docet Fagnanus in cit. c. *Cum autem*. h. t. n. 6. et Joan. Andreas, n. 6; Abbas, n. 2; Anchoranus, n. 3;

Barbosa, n. 2, et, teste Fagnano, omnis canonistarum et legistarum, arg. cit. *Juribus*, ubi hoc ipso, quod episcopo relinquatur inter plures successive æque idoneos præsentatos eligendi libertas, primus a præsentatione non censetur rejici. Ratio autem, cur patronus laicus variare possit, et non ecclesiasticus, est; tum quia præsentatio ab ecclesiastico, utpote nomine Ecclesiæ facta, habet vim electionis, ut notat Abbas, h. t. n. 3; tum quia æquum est, ut qui gravatur in uno, relevetur in alio, l. *Eum qui*. ff. *de Jurejur. sive volunt. sive necess.* atqui laicus gravatur in hoc, quod tantum habeat quadrimestre ad præsentandum: ergo debet relevari in alio, videlicet, ut possit variare.

58. Ubi tamen illud notandum, quod, licet juxta communem patronus laicus sæpius quam semel variare non possit, ut bene notat Fagnanus, loc. cit. n. 8. et efficaciter probare videtur Calderin. consil. 46, *An laicus*. h. t.; Barbosa, loc. cit. n. 2; Garcias, *de Benefic.* p. 5, cap. IX, n. 214; Roch. *de Juspatronat.* q. 10. *ÿ. Honorificum*, et alii; tum quia citata jura loquuntur tantum de duobus successive, non de pluribus ut c. *Cum autem*. h. t. ibi: « Alium æque idoneum præsentavit; » tum quia variatio est odiosa consequenter restringenda, arg. Clem. *Cum illusio, de Renuntiat.* non desint tamen alii æque vel magis probabiliter docentes contra communem, quod re adhuc integra laicus intra quadrimestre cumulative variare possit, quoties voluerit, ita enim tenet, et probat Castro Palao, p. 2, tract. XIII, disp. 2, p. 6, n. 3; Abbas, in c. *Quando*. 1. *de Judic.* et ibi Decius, idem docet Glossa in Clem. *Plures*. *ÿ. Præsentare*. h. t.; Azorius, p. 2, lib. VI, cap. II, arg. c. *Quod autem*. 5. c. *Cum autem*. 24. h. t. et c. *Pastoralis*, 29. h. t. Ratio est, quia talis cumulativa variatio non odiosa, sed favorabilis est ecclesiæ, cum, quo plures ei repræsentantur, pinguiorem habeat facultatem eligendi et acquirendi digniorem rectorem. Ad argumenta in contrarium, et quidem ad primum respondetur, quod licet in cit. c. *Cum autem*, et aliis h. t. tantum nominetur alius, et secundus, per hoc tamen tertius non excludatur, vel plures. Ad secundum argumentum dicitur, variationem exclusivam esse odiosam, non item cumulativam.

59. Illud satis communiter utriusque sententiæ doctores concedunt, quod, si patronus laicus prima, vel secunda vice fecit

præsentationem nullam, veluti si præsentavit coram non habente potestatem instituendi, possit intra quadrimestre tertium præsentare; eo quod illa præsentatio, quæ de jure fuit nulla, non reputetur. Fagnanus, loc. cit. n. 9, quia « non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, » c. *Non præstat. de Reg. jur.* in 6. Idem dicendum putat Fagnanus, loc. cit. n. 10, cum Joan. Andrea, et Cardinal. in c. *Cum vos. de Offic. ordin.* Si prima, vel secunda vice ignoranter præsentavit inhabilem, seu indignum. Porro quid juris competat episcopo, si plures successive præsentantur, dicitur § seq. n. 94. et seqq. *præsertim*, 106.

60. *Ille præsentando indignos perdit jus, non item iste.* — III. Differunt, quod si patronus ecclesiasticus scienter præsentet indignum, ea vice sit privatus jure præsentandi: non item patronus laicus saltem probabiliter per dicenda § seq., n. 86.

61. *Beneficium patronatus ecclesiastici potest conferre, et reservare legatus a latere non item juspatronatus laicale.* — IV. Differunt, quod legatus summi pontificis possit sibi reservare nondum vacantia beneficia jurispatronatus ecclesiastici, eaque vacantia conferre etiam absque consensu patroni; non item beneficia jurispatronatus laicalis, arg. c. *Dilectus 16. de Offic. legat.* et c. *Cum dilectus. 28. h. t.* et ibi Abbas, n. 2; Barbosa, n. 1. et doctores communiter. Ratio assignatur in cit. c. 28. h. t. videlicet, quia patronus ecclesiasticus subest jurisdictioni legati pontificii, non item patronus laicus. Quod si juspatronatus est mixtum, nec reservare, nec conferre beneficium potest legatus; eo quod patronus clericus communicet cum privilegio patroni laici, juxta dicta, n. 52.

62. *Si habetur ex fundatione aut dotatione: alias secus.* — Limitatur tamen hæc differentia in casu, quo patronus laicus juspatronatus non ex dotatione, fundatione, aut constitutione ecclesiæ, sed ex privilegio tantum, aut præscriptione habet, quia tunc legatus illius beneficium æque ac juspatronatus conferre potest, Barbosa, loc. cit.; Sanchez, lib. XII. *Moral.*, cap. xxix, n. 169, ob rationem infra n. seq. allegandam. Porro circa reservationem beneficiorum usus non est in Germania ob concessa, uti bene advertit Pirhing, l. t. n. 163.

63. *Per generalem reservationem aut unio-*

nem beneficium a Papa factam derogatur beneficium jurispatronatus ecclesiastici, non item laicalis. — V. Differunt, quod simplici concessionem, unione, aut reservatione alicujus beneficium per Papam ipsum facta, derogetur beneficium jurispatronatus ecclesiastici, non item laici, nisi specialiter id Papa exprimat. Fagnanus in c. *Quoniam. 3. h. t. n. 10*; Hostiensis in c. *Dilectus. n. 5. de Offic. legat.* et late Gonzalez in reg. 8. Cancellar. a. n. 2, ubi ostendit, quod sub reservatione per regulam cancellariæ non comprehendantur beneficia jurispatronatus laicalis; Pirhing, h. t. n. 133. post Glossam communiter receptam in Clem. 2. *de Præb. §. Apostolicis*: dummodo patroni laici ex fundatione, dotatione, aut ædificatione juspatronatus habeant. Ratio est, quod licet possit Papa ex plenitudine potestatis derogare etiam jurispatronatus laicorum, ut fatentur omnes, arg. c. 2. *de Præb.* in 6. tamen id facere non intendat nisi exprimat, ne laici retrahantur a fundandis, extruendis, et dotandis ecclesiis, uti communiter notant doctores. Et quia « patronorum jura tollere, piisque fidelium voluntates in eorum institutione violare æquum non est, » ut dicit concilium Tridentinum, sess. 25. *de Reform. cap. ix.*

64. *Si hoc habetur ex fundatione, aut dotatione.* — Quoniam vero hæc ratio locum non habet in jurepatronatu laicali, quod non ex fundatione, ædificatione, aut dotatione, sed ex privilegio, aut præscriptione fuit primitus acquisitum, ideo idem derogatum censetur per Papæ generalem clausulam: « Ad cujuscunque patroni præsentationem pertineat; » prout in simili diximus de legato Papæ supra n. 62. Glossa in c. *Cum dilectus. 28. communiter recepta §. Quempiam.*

65. *Parochiæ jurispatronatus clericalis debent necessario per concursum conferri: non item patronatus laicalis.* — VI. Differunt, quod ad parochias jurispatronatus laicalis extra concursum a concilio Tridentino, sess. 24. *de Reform. cap. xviii.* præsentari a patrono quis possit, et præsentatus admitti debeat; dummodo a deputatis pro examine alias concurrentium reperiatur idoneus, etsi dignior non sit. Ita concilium Tridentinum, loc. cit. ibi post medium: « Quod si jus patronatus laicorum fuerit, debeat, qui a patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, ut supra, examinari, et non nisi idoneus repertus fuerit, admitti. » E contra vero de

parochia jurispatronatus ecclesiastici nonnisi talis præsentari possit, qui fuit in concursu, ibique repertus dignior. Ita quidem, ut « si institutio ad episcopum, et non ad alium pertineat; is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinadoribus judicabit, episcopo præsentare teneatur. Cum vero institutio ab alio, quam ab episcopo erit facienda, tunc episcopus solus eligat digniorem, quem patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. » Ita concilium loc. cit. de quo vide etiam dicta supra tit. *de Præb. § 5. (ADNOTATIO XXII.)*

§ IV.

DE JURE PRÆSENTANDI: AC DE IPSA PRÆSENTATIONE: UBI ETIAM DE CASU, QUO LITIGANT, AUT DISCORDANT PATRONI.

66. *Patrono competunt plura jura: et quæ?* — Plura, præsertim vero quatuor jura competunt patrono ratione jurispatronatus, quæ habentur, c. *Nobis. 25. h. t.* et enarrantur a Glossa ibidem per notos illos versiculos:

Patrono debetur honos, onus, utilitasque.
Præsentet, præsit, defendat, alatur genus.

*In præsentati § examinabimus solummodo anum jus, quod habet, præsentandi nempe clericum ad beneficium: et ipsam præsentationem. Reliqua ipsius jura, sicut et onera ejusdem sequenti § ventilabimus.

67. *Præsentatus a patrono idoneus debet necessario admitti.* — Quæritur I. Qualiter patrono competat jus præsentandi? Resp. I. Id ei taliter competere, ut si clericum idoneum præsentet, episcopus, vel alius, ad quem institutio spectat, eum admittit, et in beneficio instituere teneatur. Communis ac certa, arg. c. *Nobis*, et toto titulo *de Jurepatronatus*, patetque ex dictis lib. I, tit. VI, n. 248.

68. *Limitatur in ecclesia conventuali, ubi est electio prælati.* — Limitatur tamen in ecclesia conventuali (cujus nomine venit quævis ecclesia, ubi plures convenientes jus habent eligendi prælatum. Barbosa, lib. III. *Jur. eccles. univ.* cap. xii. n. 180. sive regularis sit, sive sæcularis. Fagnanus, in c. *Nobis. 25. h. t. n. 14.*) ibi enim, etsi patronata existat, electio prælati ad capitulum spectat, nisi cum consensu summi pontificis patronus jus præsentandi prælatum expresse sibi

reservarit, aut aliunde per consuetudinem, aut præscriptionem acquisierit. Fagnanus, loc. cit.; Barbosa, loc. cit. et in c. *Nobis. h. t. n. 3.* atque ibid.; Abbas, n. 9; Engel, h. t. n. 4. Textus est in cit. c. *Nobis. 25. h. t.* ubi tamen additur, ut post electionem requiratur patroni consensus; non quasi necessarius foret pro valore electionis, aut confirmationis, sed honestatis gratia, et ut patrono exhibeatur reverentia, simulque per intimationem electionis factam præbeatur facultas contra electionem, vel electum coram ordinario opponendi, si quid de jure in contrarium habet, ut pluribus demonstrat Barbosa, cit. lib. III. *Jur. eccl. univ.* cap. xii, n. 181, atque notat Engel, loc. cit. et alii, arg. cit. c. 25. h. t. ponderando verbum *honestius*, contra Glossam ibid. quia licet patronus electionem personæ idoneæ irritare non possit, arg. c. *Cum terra. de Elect.* potest tamen contra eam excipere, si videtur minus idonea, ut bene notat Glossa, loc. cit. §. *Honestius.*

69. *Beneficium patronatum sine consensu patroni licite conferre nemo potest.* — Resp. II. Jus præsentandi patrono, vel patronis (si plures sint) solis ita competit, ut nulla collatio sine eorum consensu fieri queat, arg. c. *Insinuante. 14.* et ibi Barbosa, n. 1; Abbas, n. 1 et 3; Anchoranus, Joan. Andreas, et doctores communiter, nisi Papa aliter reservando, vel conferendo expresse disponat, juxta n. 63, vel legatus illius in beneficio patronato ecclesiastico, juxta dicta n. 61. vel patroni tempus suum elabi sinant, juxta dicta n. 56. aut præsentent indignum, aut discordent, juxta dicenda n. 83. et seqq.

70. *Si confertur nihilominus ab episcopo, valida est collatio, nisi patronus contradicat.* — Porro quamvis doctores citati, et alii communiter asserant, collationem beneficium patronati absque consensu patroni extra casus limitationum positurum, ab episcopo v. g. factam esse ipso jure irritam et nullam, arg. *Citatis juribus*, et can. *Decernimus. 32. cau. 16. q. 7.* ibi: « Quod si spreteis eisdem fundatoribus rectores ibidem præsumperit episcopus ordinare, et ordinationem suam irritam noverit esse, et ad verecundiam suam alios in eorum loco, quos idem ipsi fundatores, condignos elegerint, ordinari. Nihilominus satis probabilis est sententia, eam non ipso jure esse irritam, sed primum irritandam, si patronus contradicat: ita namque et doctores, et textum